

Ide sumant, Schomer. d. l. Certum adeo est manducari S. Cœnam ratione utriusque suæ materiæ, cum externæ, panis & vini, tum internæ, Corporis ac Sanguinis CHRISTI, hoc enim modo semper manducatur à dignis, indignis. Nihilominus suffragamur Paulo dicenti, Cœnam Dominicam non manducari, sc. secundum mentem Institutoris, cui privata communio non consonat, multo vero minus ex parte salutaris usus ac finis à Christo intenti, qui est fidelis Christi memoria, ac gratiæ vitæque æternæ participatio, qua exciderunt indigni, sicque non in suam salutem, sed perniciem manducant: Quod Apostolo nostro est *non manducare Cœnam Dominicam.*

§. 8. Positivus vero pœnæ Reatus est Judicium, quod increduli incurrunt, de quo Textus: *Κεῖμα ἐαυτῶ ἐδῆκε καὶ πῖνε, μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τῆς Κυρίας. Qui indigne manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit non discernendo corpus Domini.* Quo dicto tanquam fulmine merito reprimantur levitas, temeritas, securitas, petulantia humani ingenii, fastus, omnisque irreverentia, qua quis ad Cœnam Dominicam accedit non majori reverentia, quam qua cibos communes in privatis ædibus captat, nec cogitat, præsens adesse corpus Christi, idque mediante pane benedicto exhiberi: cui irreverentiæ accedit indigna manducatio, quam tandem nisi excipit Judicium, quod sequentia Pauli verba delineant: *Ideo inter Vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, v. 30. dum autem iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur.* Ubi *κεῖμα* iudicium DEI est sententia iustissimi Judicis de talismodi peccatoribus in tempore, nec minus in æternum perdendis, nisi pœnitentia sequatur. v. 30. 32. Quam interpretationem firmant adducta exempla: *alterum eorum*, qui cita morte erant extincti & dormiebant; quod aliqui interpretantur de æterna morte, ex qua nunquam sint evigilaturi, Jerem. 51, 39. & provocant ad verbum *κατακρίνεσθαι* v. 32. damnari, Bald. in h. l. Scherz. Coll. Anti-Socin, p. 959. secus ac vult Piscator de pœna temporali interpretatus d. l. f. 541. Schlichting. Tom. 2. Op. f. 795. alii de temporali ac beata morte, quod morbis admoniti de indigno S. Cœnæ usu seriam egerint pœnitentiam, antequam ex hac vita excellerint, Gerh. L. Th. de S. C. f. 94. consentiente ipso v. 32. & Christiana charitate sensum hunc svadente: *alterum eorum*, qui adhuc infirmi erant ad pœnitentiam ducebantur: id enim intendit di-

vina